Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1499
Quelle:
Copyright:

jectae visuntur. *Nolanus* ille, ut norunt Eruditi, *Jordanus Brunus* est a Patria sua, ex illis ingeniorum portentis unum, quem post varios casus et peragratam *Europam* propter gravissimos scriptis ubique disseminatos errores *Romae* 17. *Febr.* 1600. pervicacem flammis absumtum narrat *Gasp. Scioppius* epistola eadem die ibidem data ad *Conr. Rittershusium*. Egerunt de illo Scriptores plurimi, quorum praecipui *Crozius* in *Entretiens sur div. Sujets*, *Baelius* in *Lex. Hist. Niceronus* T. XVII. *Clemens* in *Catal. hist. crit. Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital.* unde actum non agam. Praesentium *Dialogorum* Argumentum allegoricum est *Jupiter* e coelo proscribens *Bestias*, id est, Nomina mythologica et Animalium Constellationibus indita (seu potius omnem Religionem revelatam) et earum loco Virtutes morales reponens; in decursu vero non pauca Deo, Christo, Religioni christianae, moribusque injuria insinuantur. *Londini* eos impressos fuisse nondum mihi plane persuasum, quamvis in *Epistola* praevia ad *Sidneum* mentio fit de *Bruni* in Insulam *Britanicam* adventu, nam et laus *Henrici III. Galliae* Regis p. 259. potius *Parisios* retrahit, et p. 249. ubi Autor Lusitanum *sollecito*, Anglum *curioso et avaro*, Genuensem *capo aguzzo*, Hispanum *tenace et stiptico* adpellat, caute a taxandis *Gallis* abstinet, qui tamen non minus illo tempore navigationes *Indicas* tentabant. Itaque facile illi Exemplaria impressa in *Angliam* submitti potuere.

Dialogis his accedunt: I. *Varia Doctorum Virorum de Jordano Bruno Judicia*, et quidem *Epistola Job. Tolandi ad Illustrissimum Virum* ✠ ✠ ✠. qui est Baro *Hohendorfius* ipse olim *Codicis* nostri Possessor, data *Amst.* 1709. et impressa in *Tolandi Collection of several Pieces Vol.* I. *Lond.* 1726. p. 304. 8. quamvis non parum truncata hoc titulo: *De Genere, loco et tempore mortis Jordani Bruni.* Dein *Article de Jordano Bruno tiré du Diction. critique de Mr. Bayle*, et *des Additions.* Mox *Remarque historique et chronologique qui regarde ce Manuscrit.* Exemplar impressum, unde desumtum est, dicitur fuisse *Job. Tolandi*, compactum cum *tribus* aliis *Bruni* Libellis, de quibus postea, in theca pereleganti nigra *Angliae* Insignibus ornata, sed a vermibus arrosa, unde suspicio, Reginam *Elisabetham* procurasse Editionem, verum clam habuisse. Sed hoc infirmo talo stat, neque scivit Observator noster, unde *Tolandus* Exemplum istud habuerit. Rursus *Job. Tolandi* Epistola ad *Hohendorfium* inedita et quidem gallice scripta et praecedente anterior data *a la Haye le 19. Nov.* 1709. in qua illi mox dictam de *Bruno* Dissertationem promittit, Argumentum Libelli de *Bestia triumphante* explicat, aitque: *Il n'y avoit jamais que vingt exemplaires tirés, et je ne manque pas des bonnes raisons a croire, qu'il-*